



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri Francisci Chiffletii, Vesontionensis, Societatis Jesu  
Presbyteri, Opuscula Quatuor.**

**Chiflet, Pierre François**

**Parisiis, 1679**

Text

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9409**



D E

UNA S. SYRA,  
sive SYRIA,

VIRGINE RILLIACENSI  
pariter & Eboriacensi, sancti Fiacrii sorore, alterâ ferè à Trecis leucâ horariâ, in pago sui nominis ad Sequanam, miraculis celebri.

OPUSCULUM II.



ERMAGNI referre existimo ad Sanctorum cultum, ut de illis non nisi benè comperta assermentur. Nam si de illorum genere aut rebus gestis incredibilia quædam cir-

E

cumferantur, proximum est ut de eorum quoque sanctitate vacillet populorum fides, & obganniant insultentque hæretici, qui Sanctorum venerationem pro superstitione habent.

Protulit recentior ætas Scriptores nonnullos, qui sanctam SYRIAM prioribus sæculis per Galliarum Ecclesias præcipuâ in veneratione habitam, in duas diffudere: unde hæsitatio in vulgo, num Rilliaci verum in illâ numen, an larvam numinis colat. Facem his prætulit Arturus du Monstier in sacro Gynecæo, & illo copiosior Carolus Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, tomo tertio, ad annum Christi 652. numero LV. *Erat, inquit, beato Fiacrio soror, nomine Syra. Hæc relictâ patriâ fratrem in eremo Meldensi jam degentem adiit, ab eoque, necnon a Farone Meldensi Pontifice confirmata est in sancto proposito: deinde concessit in disciplinam Fara piissimæ Abbatisse, quæ soror erat Faronis Episcopi.*

OPUSCULUM II. 67

præerátque Brigenſi puellarum Monafterio. Illic omni obſervantiâ caſtimonia, abſtinentiæ, pietatis, obedientiæ, humilitatis, caritatis, adeò cæteris Monialibus prælu- xit, ut evocata fuerit Catalaunum: ibi Monafterio exſtructo, cui etiam poſteâ præfuit, inſignem ſui reliquit memoriã, multis in vitã poſtque mortem clara mi- raculis. Tum poſt paucos verſus: Ca- talaunenses Syram virginem confundunt cum Syriã matronã, cujus feſtivities ſexto Idus Iunias in pago Trecenſi cele- bratur, ut illo die Molanus in Additioni- bus ad Uſuardum docet his verbis: In territorio Trecaffenſi, B. Syriæ, ma- tronæ. Eundem errorem commiſerunt Menardus libro ſecundo Obſervationum ad diem octavam Iunii, & Deſguer- roisius in Vitã ſanctæ Syriæ, ſub Leuſo ſeu Lupo Epifcopo. Vox (matrona) quã Uſuardus utitur, non parum torquet Deſ- guerroiſium, qui virgines nobiles à ve- teribus Grammaticis matronas olim dictas affirmat, nec ullum aſſertionis ſuæ teſtem.

producit. Quo tempore Syria vixerit, haud scitur. Hujus mentio fit in solis Actis sancti Saviniani, ad cujus tumulum insigni miraculo visum recepit. Beatus Savinianus in agro Trecensi martyrium subiit sub Aureliano Imperatore: sed ab ejus passione usque ad atatem Syria quantum temporis intervallum effluerit, manet incompertum. Duplicem sancti Saviniani Vitam edidit Bollandus: priorem ac vetustiore ex duobus codicibus, Trevirensi & Rotomagensi; alteram ex Promptuario Tricassino Nicolai Camuzati aliquantò prolixiorē, & ex priore elegantius expolitam. In utriusque fine narratio initur de Syriâ muliere cecâ, quæ cum multa de sancti Saviniani martyrio & miraculis audiisset, locum in quo sepultus quiescebat, expetiit, visumque recuperavit, quem ab annis quadraginta, ut Petrus de Natalibus & Bollandus scribunt, aut ab annis septuaginta, ut Trevirensis codex habet, amiserat. Subjicit loca integra ex duab'

29. Janua-  
vii.

OPUSCULUM II. 69

Vitis S. Saviniani, & sic denique concludit: Plura de sanctâ Syriâ in antiquis monumentis non inveniuntur. Sanctus Savinianus (ut Camuzatus in notis ad precitatam ejusdem Martyris historiam observat) capite truncatus est prope Sequanam, in oppidulo quatuor leucis ab urbe Tricassinâ remoto, quod olim dicebatur Rilliacum, deinde à sancto Saviniano nomen accepit, nunc autem sanctæ Syriæ vocabulo nuncupatur. Ibi sancta Syria sepulta fuit in ediculâ quam ipsa construxerat, ubi hodieque custodiuntur ejus reliquie, arêâ capsâ affabrè factâ conclusæ: ad quas frequentissimus habetur peregrinorum concursus, præsertim eorum qui calculo laborant: & in illis curandis egregia quotidie miracula divinitus eduntur. Fuit igitur sancta Syria mulier Tricassina, quæ nec Meldas unquam, nec Catalaunum adiit: distinguique debet à beatâ Syrâ sancti Fiacrii sorore, quæ monasticam vitam in Cœnobio Brigenfi Meldensis diœceseos duxit, &

Monasterium puellarum prope Catalaunum postea construxit, gubernavitque. In suburbano Catalaunensi, ad illum locum ubi Parochus sancti Sulpitii suas aedes habet, haud pridem visebantur adhuc rudera veteris claustrum, cui nomen erat sanctae Syriae, ut ex quorundam seniorum relatione scribit Desguerroisius loco supra citato.

Vult igitur Cointius distingui Syram à Syriâ. Syram asserit sancti Fiacrii sororem, Virginem, ac primùm Monialem in pago Brigenfi sub sanctae Faræ disciplinâ, tum deinde in Catalaunensi Parthenone, piarum Virginum Præfectam, septimo post Christum sæculo sanctitate & miraculis celebrem. Syriam porrò fuisse ait matronam, hoc est, aut viduam, aut conjugatam, patriâ Tricassinam, quæ post quadraginta aut plurium annorum cæcitatem, ad sancti Saviniani Martyris reliquias deducta, ejus apud Deum interventu visum receperit; incertum

OPUSCULUM II. 71

quo tempore, quove post Christum  
 sæculo: illam deinde iis præsertim qui  
 ex calculo laborent, miris modis opi-  
 tulari solitam. Addit & argumentum  
 à diebus festis: nam Syriam Rillia-  
 censem coli dicit à Trecensibus & à  
 Catalaunensibus sexto Idus Junii; Sy-  
 ram porrò à Meldensibus decimo Ka-  
 lendas Octobris.

Syriæ genus regium, & patriam  
 Scotiam Cointius silentio prætermi-  
 tit. Illam Hiberni æquè ut Scoto-  
 britanni sibi vendicant: Hiberni ex  
 principio posito, quòd omnes penè  
 Sancti, & quoquomodo illustres, qui  
 supra quingentos abhinc annos Scoti  
 leguntur, ad majorem Scotiam sive  
 Hiberniam pertinere putandi sint. At  
 hoc principium haud ita firmum vide-  
 tur, quin multis in exemplis vacillet.  
 Hector Boëthius, & Joannes Lestæus  
 Rossensis Episcopus, probi certè &  
 disertis scriptores, Fiacrio & Syriæ  
 patriam asserunt Scotiam minorem

E iiij.



sive Albionensem, quæ est insulæ Britannia pars borealis : patrem utrique fuisse aiunt Eugenium Regem ejus nominis quartum ; fratres Ferquhardum & Donevaldum ; educatorem Connanum Sodorensis Episcopum, magnæ sanctitatis virum : utriusque migrationem in Gallias ex suæ gentis monumentis affirmant. Nihil profecerunt Hiberni quod harum testimoniorum fidem eleverit.

Jam quid habet Cointius, quo contra Gallorum antiquam traditionem Syram à Syriâ discernat ? quæ Gallorum vulgo *sainte Syre*, Latinis usu communi nunc Syra, nunc Syria vocitata est. Omnes consule qui de illâ, Scotos, Hibernos, Gallos, antiquos, recentiores, cufos, manuscriptos, quotquot unquam novêre ; ab his illam promiscuè nunc Syram, nunc Syriam appellatam reperies.

Cointius eamdem facit Syram Brigensem & Catalaunensem ; ab hac Ril-

OPUSCULUM II. 73

liacensem distinguit, quam Syriam nuncupat. Brigensem porro asserit *multis in vitâ postque mortem claruisse miraculis*. Proferat vel unum certo affirmatum testimonio quod ad Syriam Rilliacensem non pertineat. doceat nos ubinam Brigensium vel Catalaunensium exstent sanctæ Syræ reliquiæ, extra Rilliacensem ejus ipsa nothecam omnibus notam. Dicat cur post omnem memoriam, æquè à Rilliacensibus, seu Trecensibus, & à Catalaunensibus Syra seu Syria colatur ad diem Junii octavam, si non eadem utrorumque patrona est.

Urget tamen Cointius, *mulierem* nuncupari in Actis sancti Saviniani Syriam Rilliacensem, cum Syra Brigensis seu Catalaunensis, sancti Fiacrii soror, fuerit virgo. Cur ergo Christus scientiarum Dominus matrem Virginem compellans, ait: *Mulier, ecce filius tuus*? Scribit Caius, mulieris nomine etiam virginem viri potentem conti-

neri. Plautus non uno loco mulierem dixit de virgine; sed de adultâ: puellam enim infantem, aut adolescentulam & viro nondum maturam nemo mulierem dixerit. Est ergo mulier & sexûs nomen & ætatis. Sed instat Cointius: *Vox (matrona) quâ Usuardus utitur, non parum torquet unius Syræ seu Syriæ assertores. Nusquam sic locutus est Usuardus; sed Molanus in Additionibus ad Usuardum v. 1. Idus Junii, & ante Molanum quinquaginta ferè annis Cartusiani Colonienses Syriæ matrone meminere. Quid tum? Matrona dicitur (inquit Gellius lib. 8. cap. 6.) qua in matrimonium cum viro convenit, etiamsi liberi adhuc non sint suscepti. His addiderim ego aut generis aut dignitatis prærogativam: quis enim matronam appellet, plebeiam & de face populi mulierculam? Meretrici opponitur matrona apud Plautum non uno loco. Hæc vis vocis hujus prisco Latine, eoque gentili. At Christianis sæ-*

OPUSCULUM II. 75

eulis, quis nescit, domnam seu matronam vulgò cenferi Virginem Deo dicatam? præsertim si nobilis, si provectæ ætatis, si aliis præposita.

Notum est omnibus Moniales in Gallia vulgò Domnas seu Dominas nuncupari; præsertim in Ordinibus Benedictino & Cisterciensi. Exempla sunt non unius aut plurium, sed omnium quæ illæ inhabitant Monasteriorum; unde dicuntur Divione, Dolæ, Remis, *les Dames du Tard, d'Onnens, de S. Pierre, de S. Estienne, &c.* Immò ex illis nonnullæ absque adjuncto *Aux Dames, le Pré aux Dames, &c.* Cùm autem de Monialibus agitur, promiscuè Domnæ seu Dominæ, & matronæ vocabula usurpantur. Sozomenus lib. 7. Hist. Eccles. cap. 21. *Cùmque Baptista reliquias inde auferre vellet, sola, ut aiunt, ei restitit Matriona, que sacrata quidem Virgo erat, &c.* Capite eodem ter prætereà meminit ejusdem matronæ, quam ad extremum *sacrarum Virginum Magistram*

fuisse dicit. In Græco textu *μαρτώνας* leges, voce Latinæ originis ævo illo in Græcorum usus receptâ. Quid ergo mirum si à Molano, aliisque Ufuardi Glossatoribus matrona nuncupata est sancta Syria, quam & Monialem & genere clarissimam, & grandem ætate, & sacræ suæ familiæ Præfectam fuisse, Gallis æquè, apud quos vitam exegit, & Scotis ex quibus prodiit, indubitatum est.

Stemus igitur in majorum nostrorum traditione, & omiffis recentiorum istis argutiis, unicam agnoscamus Syram seu Syriam, regio Scotobritannorum genere ortam, sancti Fiacrii sororem, Virginem, in sanctæ Pharae Scholâ Monialem, Catalauni Monialibus præfectam, ad Martyris Saviniani reliquias cæcitate absolutam, Rilliaci olim lapideo sepulcro, nunc operoso mausolæo conditam, miraculis latè celebrem.

Sed labor est in hac rerum gesta-

OPUSCULUM II. 77

rum disponendâ serie. Dubitare vix  
 cuiquam licet, quin sanctæ Syriæ, quam  
 & regium genus, & vitæ sanctitudo,  
 & plurima edita miracula commenda-  
 rent, res gestæ jam olim conscriptæ  
 in majorum nostrorum manibus fue-  
 rint: sed quæ Sarracenorum, Nort-  
 mannorum, atque Hungarorum bar-  
 baræ irruptiones, Galliarum plerisque  
 Ecclesiis, sacrisque eorum monumen-  
 tis vastitatem attulere, eisdem & san-  
 ctæ Syriæ Vitam conscriptam periisse  
 par est existimare. Crebrescentibus in-  
 terim ejus miraculis studium etiam re-  
 pullulavit, genus nosse & res præclare  
 gestas Patronæ suæ ac Liberatricis.  
 Tunc verò emerfit fabula de genitore  
 ejus Davide Scotorum Rege, cui  
 Margarita conjux cùm Fiacrium quo-  
 que genuisset, Edmundo postmodum  
 secundis nuptiis sibi conjuncto, quin-  
 que alios liberos, Levicum, Floren-  
 tium, Furseum, Mansuetum, & Tri-  
 duanam ex eo suscepit. Hæc in ryth-

micis versiculis Gallico sermone concinnatis typis mandata adhuc supersunt : sed & ducentis ferè abhinc annis in Breviarium Autisiodorense inculcata fuerant , referunturque à Benedicto Gonono in Vitis Patrum Occidentis : ac ( nisi me conjectura fallit ) illa ipsa sunt quæ novem digesta Lectionibus in Ecclesiâ Trecenti recitari solita erant festivo sanctæ Syriæ die, ex institutione Henrici de Noâ , Decani Cathedralis Ecclesiæ S. Petri Trecentis , ut legere est in ejus Epitaphio anno Domini millesimo trecentesimo, feriâ sextâ post festum sancti Barnabæ vitâ functi.

Verùm cùm ad annum à Christo millesimum David eo nomine primus Scotorum Rex , ex rerum Scoticarum Scriptoribus pertinere intelligeretur, & Fiacrium Syriæ fratrem quadringentis ferè antè annis, per Faronis Meldensis Episcopi tempora floruisse constaret, compertum est Boëthii maximè,

OPUSCULUM II. 79

& Lestæi testimonio, Fiacrio & Syriæ patrem fuisse Eugenium inter Scotorum Reges ejus nominis quartum. Hoc igitur supra centum abhinc annis, in æde sanctæ Syriæ sacrâ, vitreo fenestræ claustro & impressum coloribus & litteris inscriptum est, & in ejus Vitâ recensitum: necdum tamen de totâ ejus historiâ inter omnes convenit. Etenim Desguerroisius qui unicam agnoscit Svriam & sancti Fiacrii sororem & virginem, tamen illam negat Monialem fuisse in Eboriacensi seu Brigenfi Monasterio sub Farâ Abbatisâ: negat & Catalaunensibus Monialibus præfuisse verè ac propriè Abbatissam, sed tantùm affectu Matrem atque hortatricem ad omne virtutis genus. Cæcitatem verò multis precibus à Deo impetrasse dicit, adhuc in patriâ suâ, ut procos à se averteret, à quibus ad nuptias importuniùs poscebatur. Id porrò suspectum nobis est, cùm à Scotis Scriptoribus nec potuisse



ignorari, (utpote apud ipsos gestum) nec prætermitti debuisse videatur.

Longè prudentiùs ac verifimiliùs Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino, quo ad sanctæ Syriæ historiam Scotis æquè & Gallis fidem suam factam tectam esse voluit. sic enim ille ad sextum Idus Junias: *In territorio Trecenti, sanctæ Syriæ Virginis, sororis sancti Fiacrii. Syria Eugenii IV. Scotia Regis filia, contemptis mundi illecebris & fastu regio, cucullum purpure præferens, perfectioris vitæ absolutissimam magistram sanctam Burgundophoram Abbatissam habuit. Oculorum autem vitio cùm laboraret, & apud Rilliacum pagum cœmeterium ingressa, in preces attentius incumberet, sancti Savi-  
viani Martyris diu latens sepulcrum divinâ revelatione cognovit, atque oculorum usum recipere meruit. Conditâ autem super tumulo Martyris cellulâ, vitæ deinceps reliquum inibi transigens, vigiliarum, jejuniorum, orationûmque*  
*conti-*

OPUSCULUM II. 81

*continuatione, solo ferè spiritu vixit. Claruit plurimis à morte prodigiis, insigni peregrinorum concursu celebrata; eorum maximè qui acutissimis calculi doloribus exagitantur.*

Rectè hæc quidem Bucelinus de cæcitate, quæ Syriæ non in patrio solo, sed in Galliis obvenerit: quia tamen de Catalaunensi ejus domicilio nullam mentionem fecit, existimare visus est cæcam illam factam in ipso Eboriacensi sanctæ Faræ Monasterio; indèque divino impulsu in Rilliacum pagum deductam & de Saviniani Martyris loco sepulturæ divinitùs fuisse admonitam, & ejus productis reliquiis visum recepisse. At quomodò non potius credatur, migrasse Syriam è Meldensi territorio Catalaunum, ubi integris adhuc sensibus novæ familiæ præesset? ibique oculorum amisso usu annos aliquot perstitisse, donec Rilliacum exinde concederet, & Saviniano gloriam, & sibi lumen adlatura?

F

Servatâ igitur hinc Scotis Scriptoribus, inde Gallicanarum Ecclesiarum traditionibus suâ fide, sic totam sanctæ Syriæ historiam in pauca contractam percommodè digesseris.

Nata est Syria patre Eugenio hujus nominis quarto, Scotiæ minoris in Britannia Rege, haud procul initiis septimi post Christum sæculi. Fratres habuit, Ferquhardum, Fiacrium, & Donevaldum; qui omnes cum Syriâ sorore à pio parente in Connani Sordensis Episcopi viri sanctissimi disciplinam traditi haud eosdem tulere fructus. Etenim Ferqualdus improbissimis moribus, ob immania scelera à suis regno est privatus. Fiacrius abdicatâ sæculi vanitate, clam suis in Gallias elapsus, ad Faronem Episcopum se contulit, à quo donatus agello, ubi nunc etiam colitur, in eo, solitarium vitæ genus amplexus est: nec ullis suorum precibus adduci potuit, ut relictâ suâ eremo ad regnum capes-

OPUSCULUM II. 83

sendum in patriam rediret. Quare Donevaldo juniori regia dignitas delata est à Scotis, qui variâ usus fortunâ, cùm paucis annis regnasset, cæsus in bello est.

Fiacrii sanctitatis ac miraculorum famâ excitâ ejus soror Syria, cum ejusdem propositi piarum puellarum cœtu ad eum in Gallias venit: ubi de ejus consilio, annuente beato Farone Meldensi Episcopo, illæ in hujus sororis sanctæ Faræ Monasterium Eboriacense concesserunt: cùmque ibi per aliquod tempus vitæ totius regularis institutis excultæ fuissent; emissæ sunt Catalaunos versûs, coloniam apud eos deducturæ cui præposita est Syria. Exstabant adhuc patrum memoriâ hujus Parthenonis rudera, quod de sanctæ Syriæ nomine appellabatur. Sed accidit mirabili Dei providentiâ, oculorum usu destitui Syriam, ut (sicut de cæco nato in Evangelio legitur) manifestarentur opera Dei in illâ. Post-

quàm enim longam cæcitatem ad feminiles usque annos summâ animi æquitate perpeffa est, divinis cœpit illustrationibus clarescere.

Notum erat omnibus, Savinianum quemdam jam à priscis sæculis Rilliacensem pagi Trecensis villam egregio nobilitasse martyrio; sed post persecutionum procellas ignotus vulgo erat ejus sepulturæ locus. Divinitus illum edocta est Syra, promissione à Deo acceptâ, ad sacri ejus monumenti apertionem visum se momento recepturam. Divino oraculo fidem fecit eventus: deducta est ad locum, fossiles adhibiti, ad thesaurum altè reconditum perventum est: productis Martyris reliquiis Syra visu potita est. Ibi ergo sedem sibi delegit, ibi sub sancti Saviniani nomine dicatam Deo ædiculam exstrui curavit, ibi morum sanctitate ac miraculis inclyta quod vitæ reliquum fuit, exegit. Quare eodem loco sanctissimè moriens, in eâdem

OPUSCULUM II. 85

ædiculâ primò faxeum tumulum, pòst etiam mausolæum habuit. Inde pronis auribus piorum supplicum preces excipere solita; illorum maximè solatio, qui calculi sævissimis doloribus discruciantur.

Ad regiam Syriæ originem plurimum lucis affudit Beda ei suppar; immò spectare illam visus est, cùm ait libro 3. capite 8. Historiæ gentis Anglorum: *Cujus filia* (nempe Earconbercti Cantuariorum Regis) *Earcongota, ut condigna parenti soboles, magnarum fuit virgo virtutum, serviens Deo in Monasterio, quod in regione Francorum constructum est ab Abbatissâ nobilissimâ, vocabulo Farâ, in loco qui dicitur Brige. Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum Monasteriis constructis, multi de Brittaniâ monastica conversationis gratiâ, Francorum vel Galliarum Monasteria adire solebant: sed & filias suas eisdem erudiendas, ac sponso celesti copulandas mittebant; maximè*

*in Brige, & in Cale, & in Andilegum Monasterio.* Neque opponas Georgii Buchanani excucullati apostatae malignum silentium, cui non tantum Fiacrii & Syriae, & genus & sanctitudo, immò & aliorum Scotiae Sanctorum pietas ludibrium fuit; sed ipsa etiam Augustini Anglorum Apostoli de Paschatis ritu adversus Quartadecimanos religiosa contentio, quam homo impudentissimus velut inutilem & falsis adumbratam miraculis sacrilego suo stylo perstringere ausus est. Sanctior est nobis Leslæi Rossensis Episcopi fides: potior Hectoris Boëthii auctoritas, qui ut Scotorum Historiam conderet, Regis ac regionum ministrorum potestate usus, omnia excussit rerum Scoticarum monumenta, & quidquid in totius Scotorum regni bibliothecis bellici tumultus reliquum fecerant, suamque exinde historiam contexit, ut profiteretur ipse in sui operis præfatione ad Jacobum quintum ejus

nominis Scotiæ Regem.

Andilegum, in notis ad hunc locum Bedæ, ostendi ex Bruschio, & ex aliis, Monasterium esse Alfatia superioris, haud procul sanctâ Othiliâ, quod Richardis Imperatrix à Carolo Crasso separata ædificiis opibusque auxit; cùm ducentis amplius antè annis à sancta Salabergâ fuisset fundatum de S. Walberti Luxoviensis Abbatis consilio, quadraginta ferè à Luxovio miliaris.

In sanctæ Syriæ adnotandis miraculis, Trecentium ac Rilliacensium & diligentiam requiro & delectum. Multa negliguntur, quæ si ab idoneis excepta testibus, & scriptis mandata essent, plurimùm Dei & Sanctorum augerent gloriam, & piis mentibus plurimùm conferrent utilitatis. Multa vulgi ore circumferuntur, & infuscantur fabellis, quæ apud prudentes fidem non faciunt. Admonet Desgueroisius lectores suos, minimè ausum



se esse de nomine appellare, famosum & è primâ nobilitate Calvinianæ hæreseos sectatorem, qui invocatâ olim sanctâ Syriâ, immanibus à calculo tormentis exemptus est. Immò propter hanc ipsam causam (si res ita se haberet) debuisset ille omnibus innotescere, ut intelligeretur prolem esse Syriam illius patris qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Sed rem incredibilem narravit Desguerrousius, & æquivoco delusus est. Nam Gaspar Coliniacus à beatâ Syriâ perfanatus, benè Catholicus fuit, & cognominis atque in tertio gradu consanguineus illius qui Admirallius, hoc est, regix Classis Præfectus, catholicâ religione abjuratâ fœdissimam nomini ac familiæ suæ notam inussit. Utriusque consanguinitatem agnosce ex hoc schemate.

OPUSCULUM II. 89

*Guillelmus Colignæus Jacobi filius con-  
dit testamentum anno 1457.*

- |   |   |
|---|---|
| 1. <i>Joannes.</i>  | 1. <i>Antonius.</i>   |
| 2. <i>Gaspar Marefcallus<br/>Francia.</i>   | 2. <i>Philibertus.</i>  |
| 3. <i>Gaspar Admirallius,<br/>Odeti frater, quem ille<br/>pravis suis vel consiliis,<br/>vel exemplis, ingenti<br/>orbis totius scandalo, à<br/>Purpuratorum Patrum<br/>sacro Collegio ad No-<br/>vatorum lupanaria tra-<br/>duxit.</i> | 3. <i>Gaspar à sanctâ Syriâ<br/>mirabiliter sanatus.</i>  |
|   | 4. <i>Philibertus II.</i>   |
|   | 5. <i>Cleriadus.</i>  |
|   | 6. <i>Joachimus Marchio in-<br/>signiter pius, mortuus<br/>à non multis annis<br/>absque prole masculâ.</i> |

Hanc seriem familiæ Coliniacensis  
justo volumine explicuit vir clarissimus  
Dominus du Bouchet : qui & se-  
quens monumentum Gasparis de Co-  
liniaco, sanctæ Syriæ ope à calculis  
liberati, ex schedis autographis Ni-  
colai Camusat antiquæ probitatis viri  
ad me transmisit.

*Ceci est écrit sur un Tableau suspendu en  
la Chapelle de Sainte Syre, Diocese de  
Troyes, maintenant fort usé, & qui étoit  
fort lisible en l'année 1604.*

Gaspar de Coligny, Seigneur & Baron de Bovain & de Beaufort, Escuyer trenchant de Messieurs le Dauphin & le Duc d'Orleans, natif de la Franche Comté de Bourgongne, a esté ce jourd'huy XIII. jour d'Avril M. DXXXIX. delivré de sept pierres, lesquelles il a fait par la bouche: & soy voyant en peril de mort, soy voüant à Madame sainte Syre, fut delivré desdites pierres, & est en bonne santé. Dont ledit Seigneur veut & entend estre pensionnaire de l'Eglise Madame sainte Syre.

OPUSCULUM II. 91

Quæ in externorum gratiam sic Latinè reddo.

Hoc scriptum est in tabulâ appensâ in Sacello Sanctæ Syriæ, Diœcesis Trecentis, nunc vetustate consumptâ, quæ adhuc legi poterat anno 1604.

Gaspar de Coliniaco, Dominus & Baro de Bovain & de Beaufort, Sector Mensarius Dominorum Delphini & Ducis Aurelianensis, libero Burgundiæ Comitatu oriundus, hodie XIII. Aprilis, M. DXXXIX. septem calculis, quos ore evomuit, liberatus est: qui se de vitâ periclitari sentiens, cùm se Dominæ sanctæ Syræ devovisset, prædictis calculis

ejectis nunc prosperâ utitur  
valetudine. Unde se idem  
Dominus profitetur Eccle-  
siæ Dominæ sanctæ Syræ  
vectigalem.

Erant hi duo regii juvenes Fran-  
cisci I. Francorum Regis filii, quo-  
rum Gaspar de Coliniaco erat anno  
1539. Sector mensarius, HENRICUS  
Delphinus, qui natus anno 1518. an-  
num tum agebat ætatis XXI. & frater  
ejus CAROLUS Dux Aurelianensis,  
qui postmodum vitâ cessit ante pa-  
trem anno 1545. Nec verò incredi-  
bile videatur, renum calculos à Gas-  
pare fuisse ore dejectos, non modò  
quia divinæ virtuti nihil est impossi-  
bile; sed etiam quia passim videmus,  
obstructis ureteribus, urinam in re-  
nibus excoctam vomitu ejici: unde  
constat, sicut urinæ, sic & calculis per-  
vium esse transitum à renibus ad sto-

OPUSCULUM II. 93

machum, & inde ad guttur, si quando omnipotenti Deo naturalem ejectionum ordinem immutare placuerit.

Supereſt ut de ſanctæ Syriæ imagine paucis admoneam. Non placent qui haud multis abhinc annis illam repræſentarunt in veſte ornatâ & variegatâ, qualis ſolet eſſe nobilium laïcarum; cùm eam ſuperioris ætatis & Scoti & Galli Sanctimonialem fuiſſe uno conſenſu affirmant. Illam hic expreſſimus ſolidæ molis ejus effigiem, piam fanè & religioſam, quæ ad juſtam penè ſtaturam proſtat Divione in baſilicâ Carmelitanorum; in quâ jampridem inſtituta eſt Sodalitas urbanorum ſub ſanctæ Syriæ nomine, haud exiguo populi Divionenſis ſolatio ac fructu. Veſtis illi oblonga, caput velatum, linteo orario modeſtè obducti ſinus: apertum librum dextrâ ſuſtentat, in quem intentos habet oculos: veſtis interna ſparſa liliis, opi-

nor, ad regium ejus genus designan-  
dum : sinistrâ & palmam gestat vir-  
ginitatis symbolum ; & baculum, vel  
fulcrum senilis ætatis, vel peregrinæ  
sustentaculum, sive à Scotiâ in Gal-  
liam, sive Catalauno Rilliacum ad  
Saviniani Martyris gloriam promul-  
gandam progredientis. Habe hîc reli-  
giosæ hujus statuæ quaecunque ex-  
emplar.





